

## Ad scriptores latinos exegetica.

(Cf. vol. XLIV p. 460.)

XXI. ENNIVM poetam cui nationi ascriberent iam antiqui dubitaverunt; ipsum tria corda se habere dictitasse tradunt, quod loqui *Graece et osce et latine sciret* (Gell. XVII 17). Graecam igitur linguam primo loco nominavisse videtur — nempe versum quandam loco allato subesse qualem decantatum illum *nos sumus Romani qui fuimus ante Rudini* satis probabile est. Neque sine certo consilio id fecit: nam tota ars eius novicia est et Graecanica atque quod gravius est ipsum eius nomen, *sicut Andronici*, Graecae originis indicium edit. *Ennius* enim qua ratione Italicarum linguarum ope illustrari possit, non intellego: apud Graecos *sicut ἔνωλος* est qui habitat ἐν ἀλὶ — Neptune vel piscator quidam fabularis<sup>1</sup> —, ita *"Ἐν-νιος* qui habitat ἐν νειῷ vel νέῳ, cuius verbi formam dialecticam νίον esse exemplis tibi comprobabunt Meister-Ahrens *Dial.* I 245. 294 et Thraemer *Pergamos* p. 26 sq.<sup>2</sup>. Hinc ‘Ερμῆς *"Ἐννιος* (Hesych. II p. 104 Schm. *"Ἐννιος*’ ἐν Χίῳ δ ‘Ερμῆς, conl. *'Ἐνόδιος*’ *Ἐρμῆς* (ἐν) Πάρῳ, sic enim scribendum) agrestis est deus Priapo ille cognatus atque parhedrus Cereris, quae νειῷ ἔνι τριπόλῳ Κρήτης ἐν πίονι δήμῳ Plutum peperit, hinc *"Ἐννα* urbs, ἐν ᾧ τὸ ἱερὸν τῆς Δήμητρος . . . , περιειλημμένη πλατέσιν ὁροπεδίος ἀροσίμοις πᾶσιν (Strabo p. 272): unde nescio an ad Cereris Damiae vel Bonae Deae religiones per Italiam inferiorem olim florentes (cf. Buechelerum huius Musei vol. XXXIII p. 71 sq. et mea Philologi vol. XLIX [III] p. 675) *"Ἐννιος* nomen quispiam re-

<sup>1</sup> Nomina ab ἐν praepositione incipientia fere triginta Fickius composuit libri quem *Die griechischen Personennamen* inscripsit p. 27.

<sup>2</sup> In priore Νιό-βῃ nominis parte recte νεο- inesse Thraemer conicit: sed perperam in altera Geldnerum secutus conclamatum illud βᾶ = γᾶ (*die junge Erde*) agnoscere sibi visus est. Nomen epicum est, per hypocorismum (cf. Πόλυ-βος, Έκά-βη) a \*Νεόβοιᾳ vel Νεόβούλῃ derivandum neque omnino ad Matrem Montanam ipsam referendum.

ferat. Quamquam, ut fere fit in propriis Graecorum nominibus explicandis, aliae quoque ad etymon investigandum viae patent: nam per hypocorismum facile ad Ἔννομον (Ἐννομίδην) vel ad Ἔννοιον ascendas: Ἐννέο... illud ut praeteream, quod corruptum invenitur apud Kaibelium *Epigr. ex lap. coll.* 496. Sed a simili illo Mercurii cognomine certa ratione explicato cur nomen proprium separetur, non intellego: teneo igitur quod primo loco proposui. *Quintum* in patroni honorem poetam se nominasse cuivis constat.

Sed scio quid moneas. Aelianus<sup>1</sup> enim apud Suidam s. v. Ἔννιος — scilicet Aeliano totum illum locum omnibus verbis vindicandum esse spondeo — Messapium nominavit poetam (= fr. 116 p. 242 H.: καλῶς ἡπίστατο δὲ ποιητὴς δὲ Μεσσάπιος), Messapiumque et Semigraecum summi eum appellaverunt viri qui de rebus gestis litterisque Romanorum hodie arbitrium tenent<sup>2</sup>. Aelianum quidem nihil aliud dicere voluisse credo nisi ex Calabria eum oriundum esse, neque tanti opinor testimonium illud quisquam faceret. — nimis enim nota sunt sophistae levitas vanumque verborum speciosorum studium —, nisi ipse Ennius ei subscribere videretur apud Servium ad Aen. VII 691: *Hic Messapus per mare ad Italiam venit. Unde Neptuni dictus est filius . . . . Ab hoc Ennius dicit se originemducere*<sup>3</sup> — quae sequuntur unde nunc et cantantes inducit eius socios (sc. Vergilius) Ennianis volgo adglutinata nihil ad Ennium. Vergilii Messapum Tuscum alium esse atque Ennii, iam dudum perspexerunt. Sed cur tandem Ennii Messapum barbarorum heroem quasi gentilem esse credamus? Graecorum eum esse voluerunt auctores antiqui, cf. Strabo p. 405 (Steph. Byz. s. v. Μεσσάπιον p. 447, 4):

<sup>1</sup> Nomen eius desidero apud Schwabium et Teuffelium hist. litt. Rom. § 100, 1.

<sup>2</sup> Summa fiducia hoc nuper affirmavit Lucianus Müller *Q. Ennius* p. 62: ‘Doch stammte Ennius nicht von griechischen Eltern (er würde sicher des Gegenteils gedacht haben), sondern von messapischen. So erklärt sich, dass er, einer bei den Italienern noch heute nicht seltenen Schwäche nachgebend, . . . sich von Homer offenbaren liess, er stamme von dem angeblichen Stammvater der Calabrier, dem fabelhaften König Messapus.’ Quantopere Graeci vitio illo laborarint nemo nescit; verba vero parenthesi inclusa non vereor ne argumentum tibi praebere videantur. Lepidum est quod p. 63 additur: ‘. . . Des von den Eltern ererbten Idioms scheint sich Ennius geschämt und deshalb seiner nirgend gedacht zu haben’ etc. Scis quid sit osce loqui.

<sup>3</sup> Hinc Silius *Punicorum XII 393 Ennius antiqua Messapi ab origine regis.*

ἐν δὲ τῇ Ἀνθηδονίᾳ Μεσσάπιον ὄρος ἔστιν ἀπὸ Μεσσάπου, δς εἰς τὴν Ἰαπυγίαν ἐλθών Μεσσαπίαν τὴν χώραν ἐκάλεσεν. Ipsum vocabulum Graecissimum est a Georgio Curtio (*Grundz.*<sup>5</sup> 469) bene ad radicem απ- (*aqua*) relatum atque *'Land zwischen zwei Wassern'* explicatum. Nam quod ipse sibi opponit non aptum videri hanc notionem ad Messapios Locros Messapiumque Boeotorum, non satis circumspecte rem gessit, cum Locridis Messapii ex probabili Odofredi Müllerri conjectura inter duo flumina ad mare incolant, atque Messapium Boeotiae et mare Euboicum et lacum Copaidem atque τὰ παράλιμνα radicibus contingat. Graeci igitur hoc nomen sicut alia multa e vetere patria asportatum recte transtulerunt ad regionem illam utrinque mari cinctam atque Graecorum est Messapus terrae heros qui dicitur eponymus. Ab eo si gentis originem Ennius deduxit, Graecum se esse credidit, non Italicum natione. Quibus indiciis vides quantopere commendetur Verrii testimonium quod fere neglegere solent Festi p. 293<sup>a</sup> M.: *quam consuetudinem* (litteras non geminandi) *Ennius mutavisse fertur ut pote Graecus Graeco more usus* etc.

XXII. *Sacram historiam Euhemeri* ab Ennio quadratis versibus explicatam esse qui de Ennio scripserunt fere omnes confidenter affirmant<sup>1</sup>; primus quantum scio caute dubitavit Ribbeckius hist. poes. Rom. p. 46 sq. Euhemerum quod *poetam* Columella nominavit (IX 2), non sine quadam veri specie ad versus Ennianos rettulit Vahlen. Sed altius inquirenti vereor ne hoc testimonium inter manus evanescat. Columella enim, qui Hygini *fabulose tradita de apibus* cavillatur atque *poeticae magis licentiae quam nostrae fidei* concedit, Euhemeris testimonium non excerptis ex Ennii libello, quem neque per nomen citat usquam neque ad manus habuit, sed e docta Hygini disputatione transtulit: ubi cum plerosque auctores poetas esse videret, etiam Euhemerum quae *non deceant poetam* referentem Musarum thiaso inseruit. Quamquam ne illud quidem contenderim Hyginum ex Ennio hausisse: ipsum opinor Euhemerum audimus, nam sequuntur Graecorum — Nicandri (de quo recte Schneider Nic. p. 123) Euphronii — testimonia ex geoponico quodam hausta Graece bene eruditio. Itaque delendum videtur ipsum hoc fragmentum in quo cardo rei vertitur, vel inter incerta et dubia relegandum<sup>2</sup>.

<sup>1</sup> Cf. e. gr. Lucianum Muellerum *Ennii* p. 113.

<sup>2</sup> Talia nihil curasse sane mireris Ennianistam illum qui de fontibus fragmentorum investigandis magnificentissima dedit praeecepta.

Ennii Euhemerum e scriptoribus qui testes nobis adsunt Varro potissimum adhibuisse videtur, qui *de re rust.* I 48 (p. 185 K.) haec habet: *arista et granum omnibus fere notum, gluma paucis, itaque id apud Ennium solum scriptum scio esse in Euhemeri libris versis:* quibus verbis vix usus esset, si pseudohistoricos illos libros versibus Ennius inclusisset et poetico sermone exornasset. Contra quae apud Lactantium leguntur (*div. inst.* I 11. 13. 14. 22) non ex ipso Ennii libro petita esse libenter do Vahleno (*Enn. p. rel.* p. XCIV): ad Varronem ea redire conicias, cuius nomen citatum invenies in capite 17. Hoc posito magis etiam e re nostra est, quod Lactantius (I 11. 14) inter probos *antiquarum rerum scriptores* Euhemerum numeravit atque sacram historiam ad *veras litteras* rettulit opposuitque *poetarum ineptiis*. Iam ver suum particulis quas 'delitescentes sub Lactantii verbis' Ilbergius vocabulis additis mutatis traiectis et sibi suscitare visus est et aliis non multum opinor tribues. Scis quam expedite nuper capita quaedam a sophistis Graecis lexicorum et paroemiographorum ope elaborata in trimetros perelegantes redacta sint: rudes illos versus, qui Vahleno iudice *severiore censuram aegre sustinent*, ex oratione rhetoris Christiani vix graviore opera fingi potuisse facile concedas.

XXIII. CATONEM praecepta quae vocantur ad filium *oraculorum* titulo ornasse coniecit F. Schoellius huius Musei vol. XXXIII p. 482. Certe Priscianus et Plinius oraculorum nomen brevibus quibusdam sententiis indiderunt, quae e Catonis libro excerpta nobis servarunt. Hinc ni fallor nova Catonis fragmenta licet aucupari. Inveniuntur enim apud eosdem auctores Catonis nomine non addito sententiae quaedam ad res rusticas spectantes sub titulo *oraculorum*: quas ex hominum ore ab eis exceptas esse non credo — quae opinio videtur A. Ottonis<sup>1</sup> —, sed excerptas arbitror e libro illo Catonis. Nec sola *oraculi* appellatio huius originis indicium mibi videtur esse, sed sermo brevis et nervosus sanumque et simplex ingenium. Exempla loquuntur. Plin. *nat. hist.* XVIII 6, 40:

Quonam igitur modo utilissime coluntur agri? Ex *oraculo* scilicet '*malis bonis*'. Sed defendi aequum est abavos, qui praeceptis suis prospexere vitae; namque cum dicarent *malis*, intellegere voluere *viliissimos*. Summum providentiae illorum

<sup>1</sup> Breviter haec significavi in censura libri de proverbiiis Romanorum ab eo conscripti *Wochenschr. f. kl. Ph.* 1891, 16, 427.

fuit ut quam minimum esset impendi; praecipiebant enim ista qui triuinphales denas argenti libras in supellectile criminis dabant, qui mortuo vilico relinquere victorias et reverti in rura sua postulabant, quorum heredia colenda suscipiebat res publica, exercitusque ducebant senatu illis vilicante.

Plinii verbis Catonem fere graphice depictum videre mihi videor. Quin ipsa illa sententia, qua *bonis malis* (i. e. exiguis sumptibus) *agrum utilissime coli* praecipitur, Catoni satis erat trita. Cf. *de agri cult. I*: *Videte quam minimi instrumenti, sumptuosusque ne ager siet. Scito idem agrum quod hominem: quamvis quaestuosus siet, si sumptuosus erit, relinqu non multum.*

Quod si recte conieciimus, etiam illa quae post Catonis testimonium leguntur § 36 ('Dehinc peritia vilicorum in cura habenda est multaque de his Cato praecipit . . . Temerarium videatur unam vocem antiquorum posuisse et fortassis incredibile . . . , nihil minus expedire quam agrum optume colere' eqs.) ex eodem fonte hausta esse licet suspicari; nam persimilis est sententia 'negatione contrarii' quod dicunt circumscripta.

Pergit Plinius:

40. Inde illa reliqua *ex oraculo: nequaquam agricolam esse, quisquis emeret quod praestare ei fundus posset; malum patrem familias, quisquis interdiu faceret quod noctu posset, nisi in tempestate caeli; peiorum qui profestis diebus ageret quod feriatis deberet, pessimum qui sereno die sub tecto potius operaretur quam in agro . . .* 44 Reliqua praecpta reddentur suis locis, quae propria generum singulorum erint; interim communia quae succurrunt non omittemus et in primis Catonis humanissimum . . . , id agendum ut diligent vicini (= *de agri cult. IV* p. 16 K.).

Hoc quoque *oraculum* ad Catonis ingenium expressum esse credo. Certe similia multa ex reliquiis quae sub nomine eius feruntur colligas, cf. e. g. *de agri cult. 5, 7: opera omnia mature conficias face. Nam res rustica sic est: si unam rem sero feceris, omnia opera sero facies*, ubi haud scio an lateat versus proverbialis numeris volgaribus (cf. exempla apud Baehrensius PRF. p. 56) dicens:

*omnia opera sero facies, si unam sero feceris.*

Neque casui tribuendum, quod §§ 36. 44. 45 nominatim ad Catonem referuntur.

Brevius quam ex quo certi quid colligas alterum est exemplum quod in eodem libro invenitur § 170:

Syria quoque tenui sulco arat . . . In omni quidem parte culturae, sed in hac maxime valet *oraculum illud, quid quaeque regio patiatur* —

quo oraculo fortasse usus est Vergilius Georgicorum l. I. v. 50 sqq.:

*at prius ignotum ferro quam scindimus aequor,  
ventus et varium caeli praediscere morem  
cura sit ac patrios cultusque habitusque locorum,  
et quid quaeque ferat regio<sup>1</sup> et quid quaeque recuset.*

Neque quae leguntur § 319 (*oraculum..frigidum picari pro nihilo ducentium*) — magni illa momenti ad ipsam *oraculorum* naturam definierandam — in hac quaestione nobis sunt adiumento. Sed discrimen facit § 200:

Ergo inter quattuor et sex modios pro natura soli, alii *quinq[ue] non minus seri plurisve praecipiunt* .. Huc pertinet *oraculum illud magnopere custodiendum*: ‘*segetem ne defrudes*’.

Verba ultima ex ipso Catonis de agri cultura libro 5, 4 (*segetem ne defrudet [vilicus]: nam id infelix est*) repetita esse interpres (cf. Sillig, vol. III p. 188) coniecerunt. Vereor ut recte: nam tertia persona utitur Cato, secunda Plinius; neque cur verba Catonis oraculum appellaverit Plinius, ex illo quidem loco facile intellegitur. Vides ad simile illud nos reici Catonis opusculum, e quo Plinium aliquo haud pauca *oracula* petiisse certum est.

At qui factum est, ut totiens ad *abavos* vel *oraculum* provocaret Plinius, ubi Catonem exscripsit? Idem fecit Plinius, quod Columella Poenos laudans pro Magone (I 3, 8), Herodotus Phoenices Aegyptios Milesios Lesbios citans pro Hecataeo vel Hellanico, Pausanias Ionum testimonium afferens pro paroemiographis: non nominavit ipsum quo usus est scriptorem, sed auctores eius. Nam ad maiores quin in praeceptis ad filium iam Cato provocarit quicunque ingenium eius noverit non dubitabit (cf. Rel. p. 39, 3. 59, 7. 62, 3: *atque ego a maioribus memoria sic accepi* etc.). Veteres igitur vatum sententias vocesque agricolarum populares *oracula* videtur nominasse, eisque sua quaedam inventa *ut ex oraculo* (Plin. VII 171) adspersisse. Ipsum libellum *oracula ad filium* eum inscripsisse certo nullo testimonio traditur neque me si audis indicis quae Schoellius attulit coniunctis efficitur, licet nomine illo summam rei contineri Schoellio concedendum sit.

Ceterum *oracula* illa, quae tantum non omnia ad rem ru-

---

<sup>1</sup> vice proverbii ursurpatum teste Macrobius V 16, 7, cf. A. Otto l. s. s. 296.

sticam et disciplinam simplicem commendandam spectant, idem fere ingenium spirare dixeris, quod Hesiodi opera et dies; neque si quid video tota descriptione formaque a Graeco illo poemate nimis erant diversa. Mirum olim mihi visum est quod Plinius dicit *nat. hist.* XXIX 27:

Lues morum nec aliunde maior quam a medicina *vatem prorsus cotidie facit Catonem et oraculum: satis esse ingenia Graecorum inspicere non perdiscere.*

Cur tandem fere *cotidie* Catonem oraculum proferre dixit Plinius? Respondebit ipsum quod Catoni vindicavimus oraculum naturalis historiae libro XVIII § 319 insertum:

Iustum vindemiae tempus ab aequinoctio ad vergiliarum occasum dies XLIV. *Ab eo die oraculum occurrit frigidum picari pro nihilo ducentium;* sed iam et kal. Ianuar. defectu vasorum vindemiantis vidi etc.

Itaque certis quibusdam diebus singula oracula exhortationesque Cato adposuisse videtur, ut pars illa operis calendarii fere speciem indueret vel ephemeridis rusticæ: qualem postea scripserunt Varro (*Prisc. Gr. L.* II p. 256, sed cf. Reitzenstein, *de script. rer. rust.* 44) atque Accius, qui quidem in *Praxidica* e probabili Ribbeckii conjectura (h. *Mus.* XLI p. 631) praecepta sua (Plin. XVIII 200 *ut sereretur, cum luna esset in ariete geminis leone* etc.) ad Catonis exemplar divina auctoritate firmavit.

XXIV. HORATII epodon carmini quinto supra cap. V (h. *Mus. vol. XLIV* p. 451) Procli locum ascripsi, quo θάπτειν τὸ σῶμα ἐν τῇ μυστικωτάτῃ τῶν τελετῶν iubetur πλὴν τῆς κεφαλῆς. Asensus est A. Kiesslingius in altera carminum editione p. 393; contra Procli illa et epodium Horatii ulla cohaerere communione praefracte negavit Hermannus Diels nitidissimi quem de libris Sibyllinis scripsit libelli p. 69<sup>2</sup>, 70; ad taurobolia potius vel similes caerimonias referenda ea esse coniecit a τελετῆς ut videtur voce profectus. Quod ut recte suspicatus sit, tamen cur loci Horatiani memoribus nobis esse non liceat non intellego. Eadem apud Proclum atque Horatium conspicitur imago: quid igitur, si sagae Horatianae, quae certo ritu puerum quasi immolant, ad tauroboliorum similitudinem quandam sacrum suum instituerunt? Quamquam et taurobolia et artes illas veneficarum ex antiquioribus superstitionibus pendere crediderim neque propriis certae cuiusdam religionis neque uni tantum populo quasi peculiaribus.

Verum mittamus coniecturas: nam alter mihi testis exstitit,

recentissimus ille quidem, sed satis si quid video locuples. W. Ködding in annali qui inscribitur *Globus* (1888, LIII p. 109) de Batakkis, barbara quadam gente Sumatram insulam incolente, haec tradit:

... Die 'Tabas' (Zaubersprüche) gehören ... einer veralteten Sprache an und sind den Datu's selbst nicht verständlich ... Den Fetischen und Amuletten giebt der 'Tabas' (Zauberspruch) und 'Pupuk' (die Tinktur) von Pangulubalang ihre besondere Kraft. Der Pangulubalang wird auf folgende Weise bereitet. Im Haine des Sombaon wird diesem und den Göttern geopfert, und es wird denselben irgend ein Mensch ... gebunden übergeben. Nach 7 Tagen wiederholt sich dasselbe. Dann wird er bis an den Hals in den Grund gegraben und durch Einschütten geschmolzenen Bleies getötet. Herausgegraben, wird sein Fleisch und Fett ausgebraten, die Überbleibsel nebst den Gebeinen aber verbrannt und zu Pulver zerrieben. Dieses Pulver und Fett bildet 'Pupuk' (Tinktur) zu den meisten Zaubermitteln, zu Fetischen und dergleichen. Besondere Kraft hat dies Mittel, die Feinde zu vernichten, denn der Geist des Getöteten ist ja in dem Mittel kräftig.

Horatii carmen — quod fictum<sup>1</sup> esse sicut pharmaceutrias Theocriti iterum moneo — enarratum atque explicatum audire tibi videaris. Ceterum lepidum illud, quod carmina magica se non intellegere barbari confessi sunt: nimirum sua sibi habebant grammata *Ephesia*. Nam vetus illa dialectus vereor ut ab auctore Europaeo eis quasi suggesta sit.

XXV. Locus conclamatus est libri alterius epistularum epistolae primae versus 79:

75 indignor quicquam reprendi, non quia crasse  
compositum inlepidewe putetur, sed quia nuper,  
nec veniam antiquis, sed honorem et praemia posci.  
recte necne crocum floresque perambulet Attae  
80 fabula si dubitem, clament periisse pudorem  
cuncti paene patres, ea cum reprendere coner  
quae gravis Aesopus, quae doctus Roscius egit.

Porphyronem '(p. 316 M.) et Acronem futilia proferre, cum 'Attam in fabula quae inscribitur Materterae ita florum genera enumerasse ut reprehendendus sit ob nimiam loquacitatem' fingunt potius quam testantur, verissime Ribbeckius monuit ad Attae frag-

---

<sup>1</sup> Cf. Philol. L (IV) p. 99 sq.

mentum *Com.*<sup>2</sup> p. 161. Cui miror quod aurem non praebuit qui Horatii epistulas eleganter nuper enarravit Kiesslingius p. 168. Ex nudis enim poetae verbis quae de Materterta tradunt ipsi colegerunt scholiastae collegeruntque non sine levi errore, ne dicam fraude: nam *fabulam perambulare* verba non ad certum quendam locum spectare, sed ad actionem scaenicam, vel ex eo consequitur, quod v. 82 praedicatur de Aesopo et Roscio. Rectius commentator Cruquianus, cuius testimonium (p. 594 ed. 1611) ipse Ribbeckius fragmentis inseruit: *Attae fabula] quae inscribitur Materterta recte necne perambulet crocum floresque, id est in scenam recepta sit quae floribus et croco spargitur.* Quam explicationem posthabitam a Kiesslingio iure cum alii praetulerunt tum Ribbeckius poes. *Rom. hist.* I 204 totum locum his verbis explicans: *obwohl Horaz sie [Attae togatas] nicht für salonfähig hießt und nicht passend fand, dass ihr Duft sich in die Wohlgerüche der blumengeschmückten eleganten Bühne des damaligen Rom mische.* Restant tamen quibus offendas. Neque enim veteres fabulas a scaena omnino excludendas esse censuit Horatius: *veniam antiquis,* ut versu quem excipit 79 legitur, concedendam esse putavit, honorem et praemia neganda. Ergo *crocum floresque recte perambulare* ita si explicetur, ut sit *plausu excipi* vel *probari*, totus locus bene sibi constet. Iam flores, fructus ornamenta proiecta apud omnes cuiusvis aevi populos signa fuerunt approbationis et gaudii. Graeci igitur veteres (Suid. s. v. περιαγειρόμενος = Eratosth. schol. Eur. Hec. 569, p. 248 Bhdy.)... ἀνθεσι καὶ φύλλοις ἔβαλλον περιερχομένους [τοὺς νικήσαντας], ὡς καὶ νῦν τοῖς ἐπιφανῶς ἀγωνισαμένοις ἐπιβάλλουσι πετάσους κτλ.: unde mira de Draconis morte fabula apud eundem s. v. Δράκων (cf. v. πέτασος, paroemiogr. lexicogr. s. v. βάλλ' ἐς Μακαρίαν: v. Wilamowitz, de Eurip. Her. p. IV sq.). Atque teste Suetonio (*Ner.* 25) honoris causa Neroni *incidenti passim . . . sparso per vias identidem croco ingestae aves ac lemnisci* [cf. *Liv.* XXXIII 33, 2] *et belaria.* Mirum tamen, quod huius moris in ludis saenicis antiquorum nullum exemplum invenit A. Mueller (*Handb. d. B.-A.* p. 305 sq.) Contra solemni usu crocus spargebatur in Romanorum theatris, cf. praeter Propertii locum IV 1, 16 Lucret. II 416:

*et cum scaena croco Cilici perfusa recens est<sup>1</sup>,*  
atque quod neglectum videtur Apulei testimonium *Metam.* X 23: *per quandam latentem fistulam . . . prorumpit vino crocus diluta sparsim-*

<sup>1</sup> Cf. Hehn, *Kulturpflanzen*<sup>4</sup> p. 214 sq.

*que defluens... odoro perpluit imbre.* Huc quicumque versus Horatii legebat *crocum* non referre non poterat. Tenendum igitur, quod de apparatu scaenico exposuit commentator Cruquianus. Sed sententiam, quam supra commendavi, in ipsis illis *recte neque perambulet* verbis inesse certo potest demonstrari. Fabula concinna et iudicibus probata *stare* dicitur apud Terentium, atque sensu paullo subtiliore apud ipsum Horatium paucis versibus post (176, cf. etiam serm. I 10, 17):

*securus [Plautus], cadat an recto stet fabula talo — nimirum non adstricto percurrit pulpita socco<sup>1</sup>.* Eadem fere imagine hoc loco usus est poeta: *crocum floresque* sermone quaesitiore appellavit *pulpita*; *recte perambulare* pulpita fabulam dixit quae nullam spectatoribus praeberet offensionem certoque quasi numero et perfecto ab initio ageretur usque ad finem. Itaque in *recte* vocula, quam consulto primo versus loco positam a caeteris separavit, summam loci versari Horatius voluit. Apertius sane planiusque eandem sententiam exprimere poterat his fere verbis: *rectone talo percurrat pulpita theatri Attae fabula necne etc.*

#### XXVI. OVIDIVS *Fastorum* II v. 108 sqq. de Arione:

*reddidit icta suos pollice corda sonos,  
flebilibus numeris veluti canentia dura  
traiectus pinna tempora cantat or.*

Plutarchus *Sept. sap. conv.* 18 p. 161 de eodem Arione: .. ἔξασαι δὲ τὸν βίον τελευτῶν καὶ μὴ γενέσθαι κατὰ τοῦτο τῶν κύκνων ἀγεννέστερος.

Ps.-Dio (Favorinus secundum Emperium et Massium *de biogr.* 137) de eodem orationis Corinthiscae XXXVI initio (vol. II p. 293 Ddf.): μέλλων εἰς τὴν θάλατταν ἀπὸ τῶν πορθμέων ἐκπεσεῖν ... παρητήσατο αὐτοὺς πρὸ τῆς ἐκβολῆς φσαι, ὥσπερ φασὶ τοὺς κύκνους μέλλοντας ἀποθνήσκειν καὶ προορωμένους τὸν θάνατον ἐμβιβάζειν τὴν ψυχὴν οἷον εἰς ὅχημα τὸ μέλος<sup>2</sup>.

Ps.-Dionem Ovidio usum esse credi non potest, cum simpliciorem fabulae quae de olorum cantu ferebatur formam praebat. Atque quamquam flosculus ille non tam rarus erat, ut ex uno tantum horto peteretur, tamen e Graeco exemplari, quod Ovidio ad manum erat (cf. etiam Hyg. fab. 194, Serv. Ecl. VIII 55)

<sup>1</sup> Similia multa facile compones, velut versus *incomposito pede currentes* (serm. I 10, 1 cf. 11), *mollius eunt* (ib. v. 58).

<sup>2</sup> Ab Herodoto proprius abest Gellius XVI 19 Favorini sectator.

eum decerptum esse Graeci oratoris testimonio confirmari videtur. Ceterum Ovidius, qui *pinna traicctum* olorem canere facit, haud scio an veteris illius apologi ‘Libyci’ memor fuerit, quem retulit Aeschylus schol. Aristoph. *Avv.* 808 = fr. 139 p. 45 (πληγέντ’ ἀτράκτῳ τοξικῷ τὸν αἰετὸν | εἰπεῖν κτλ.). E simili fonte, ut ἐν παρέργῳ hoc addam, Aristoteles hausit, cum olores in Libya canentes morientesque inducit anim. hist. IX 12, 2 p. 615, 31. Apud Ovidium Heroid. VII 1 *ubi fata vocant ad vada Maeandri concinit albus olor.* Cf. Metam. V 386. XIV 430.

## XXVII. MARTIALIS I 61 se ipsum praedicaturus praefatur<sup>1</sup>:

*Verona docti syllabas amat vatis,*

*Marone felix Mantua est<sup>2</sup> etc.*

*Syllabas* Friedlaender Flachium secutus interpretatus est *hendecasyllabos* collato quod eadem ratione explicat exemplo XII, 12:

1 *Nomen cum violis rosisque natum  
quo pars optima nominatur anni . . .*

11 *versu dicere non rudi volebam:  
sed tu syllaba contumax repugnas.  
Dicunt Earinon tamen poetae,  
sed Graeci, quibus est nihil negatum*

15 *et quos Ἀρες Ἀρες decet sonare.*

Pueri delicati nomen Earinon fuisse scimus. Iam i illud a quo incipit terminatio pro brevi Martialem habuisse ex epigrammate gemello colligitur, ubi legimus *Oporinos essem* (υ\_υυ\_) *Chimerinos* (υ\_υ\_), *Dictus ab aestivo Therinos* (υυ): tribus vero syllabis brevibus longa non intercedente locus non erat in hendecasyllabis. Vides quae *contumax* illa sit *syllaba*: ipsa *Earini* nominis prima, quam longam faciunt Graeci poetae, *quibus est nihil negatum*<sup>3</sup>. Haec igitur nihil ad rem. Sed qui omnino *hendecasyllabos syllabas* vocari tibi persuadeas, syllabis cum quivis versus constet<sup>4</sup>? Atque — quod gravissimum est — cur solos hende-

<sup>1</sup> Scripsi a. 1887 Martialem in scholis interpretaturus.

<sup>2</sup> Eosdem compositos invenies XIV 195.

<sup>3</sup> Locum tetigi Philologi vol. XLVI p. 630, ubi contuli Diphil. fr. 30 p. 549 K.: τοξόδαμνε παρθένε, | ώς οἱ τραγῳδοί φασιν, οἵς ἔξουσια | ἔστιν λέγειν ἀπαντὰ κτλ. Nominibus propriis saepe ita luserunt poetae, cf. Ritschelii opuscula V 595 sq.

<sup>4</sup> Ne commemorari quidem fas erat X 9, 1 *undenis pedibusque syllabisque*; quamquam ad distichon (hexametrum + pentametrum) et hendecasyllabos recte relatum est (cf. vol. II p. 112).

casyllabos Catulli Veronam amare fingat poeta neglectis· praeter alia et iambis et distichis, quibus multum eum tribuisse ipsa ars eius testatur? Quid plura? Sicut in versibus qui insequuntur non singula scriptorum opera nominantur, sed ipsum eorum nomen omnium operum instar, ita in *syllabas* vocabulo notio lateat necesse est, qua complectantur quaecumque scripta reliquit Catullus. Intellegis quo tendam. Pro *syllabas* olim scriptum erat *syllabos*, i. e. *indices*, cf. Cicero ad. Att. IV 5: *glutinatoribus imperes ut sumant membranulam, ex qua indices fiant, quos vos Graeci sillabos* (ita Med.) *appellatis*. Quamquam iam nova illa oboritur quaestio eaque difficillima, *syllabos* sitne a scriptore ipso profectum an a librariis corruptum ex *sillybos* vel *sittybos* verbo: nam de ipsa forma adhuc litigatur, licet qui de re libraria antiquorum scripsit Th. Birtius solam σίλλυβος formam agnoscat (p. 66 sq.) Hauptii (*op.* III 411) ut videtur immemor. *Indices* poni pro libris nihil habet miri<sup>1</sup>.

### XXVIII. Eiusdem Xenium XIII 34:

*Cum sit anus coniunx et sint tibi mortua membra,  
nil aliud bulbis quam satur esse potes*

Isidorus Hilberg tentavit in studiis Vindobonensibus (XII 158). Nam bulbis neminem 'nec hominem nec deum' saturem fieri ratus

*Nil aliud bulbis, quam satureia potest*  
scribendum esse coniecit. Quod explicat: *Dann vermag die Zwiebel genau dasselbe, wie die Saturei [nämlich — nichts].* Aculeum igitur in ipsis poetae verbis non inesse vides, sed suppleri ab interprete. Verum gravius illud est, quod de bulborum usu e nostra magis consuetudine Hilberg iudicavit, quam ex antiqua. Romani enim Graeciique veteres non, οἵτινες βρότοι εἰσίν, βολβοτράγοι fuerunt, sed βολβοφάγοι: milites potissimum remiges rusticos bulbis allioque vescentes ubique invenies: cf. Aristoph. Equ. 600 Ach. 550. 1089 Thesm. 493, Antiph. fr. 60 CAFr. II p. 36, fr. 226 p. 111 (Philol. XLVI 607), Theocr. XIV 17, Horat. Epod. III, Verg. Ecl. II 10. Plura dabit Victor Hehn (*Kulturpflanzen* p. 165 sq.), qui dulcem bulbum ab aeri discernendum esse luculenter exposuit. Bulbis venerem incitari volgatum erat apud veteres. Hinc καὶ νὴ illa ὀψαρτυσία pendet Platonis *Phaon*. fr. 173 CAFr. I p. 646 βολβοὺς μὲν σποδιὰ δαμάσας καταχύσματι δεύσας | ώς πλείστους διάτρωτε [usque ad satietatem opinor]· τὸ γὰρ

<sup>1</sup> [Similibus rationibus ductum iam Baehrensius Catulli vol. II p. 60 *sittybos* coniecisse sero vidi.]

δέμας ἀνέρος δρθοῖ, huc Xenarchi prologus spectat fr. 1 vol. II p. 467 ἀστυτος οἰκος κοῦτε βυσαύχην θεᾶς | Δηοῦς σύνοικος, τηγενῆς βολβὸς, φίλοις | ἐφθός βοηθῶν, δυνατός ἐστ' ἐπαρκέσαι. Nihil igitur mutandum est in altero versu: „*Du kannst von Zwiebeln nichts anderes werden, als — satt*“ — nimicum οὐδὲν σ' ὄνήσει βολβὸς ἂν μὴ νεῦρον ἔχης, scil. εἰς τὸ ἀφροδισιάζειν (Athen. II 64 B, CAFr. III p. 498 K).

XXIX. In codicis Philippie glossario, quod felici Ellisii manu (*Journal of phil.* VIII 122) in lucem protractum est, bucolicum quoddam fragmentum legitur augusto VERGILII nomine ornatum:

*Sole recens orto numerus ruit omnis in urbem  
Pastorum, reboant saltus silvaeque cicadis.*

Pro *cicadis* verbo, de quo Baehrensum quoque (*PLM.* IV p. 440) addubitasse video, sponte mihi sese insinuavit Vergilianum illud quod in quinta ecloga (v. 85 *Hac te nos fragili donabimus ante cicuta*) legitur *cicutis*:

. . . *reboant saltus silvaeque cicutis.*

Nam frigore potissimum matutino *sole recens orto* atque in *saltilibus silvisque* cicadas canere quis unquam fando audivit? Canunt syringibus agricolae cum diebus festis *ruunt in urbem*. Ceterum poetae illius animo obversatum videtur quod legitur in Georgiorum libro III v. 223 *reboant silvaeque et longus Olympus.*

(Continuabuntur.)

Tubingae.

O. Crusius.